

Quomodo autem invenienda sit quantitas diei & noctis Viennæ, paucis accipe. Applica Tabellam nigro colore tinctam, unâ cum gradu Solis dato, aut die mensis (quæ duo semper sibi in bipartitis columnis Tabellæ Applicatoriae respondent) ad Tabellam quamcunque, aut cujuscunque Signi; & è regione tibi occurret quantitas diei & noctis in horis & minutis.

EXEMPLUM.

Verbi gratiâ, die 15. Augusti, seu Sole existente in gradu 24^o Ω , quæritur Viennæ quantitas diei & noctis. Quære itaque Tabellam Ω ; huic applica Tabellam Applicatoriam nigro colore imbutam; & quære è regione 24^o gradûs Solis, aut 15^o diei mensis Augusti, qui dicto gradui Solis in altera ejusdem Tabellæ columna respondet: & invenies in Tabella Ω notâ signata, in columna diei, 14 horas, 0 minutum; & in columna noctis 10 horas, 0 minutum; diei videlicet & noctis quantitatem quæsitam.

Hoc pacto in omnibus aliis Tabellis procedes; quarum sex in antica Facie continent Signa ν , δ , Π , Θ , Ω , Υ , Signa Borealia; in postica verò parte seu Facie ϵ , III , γ , ζ , III , χ , Signa Australia. Sed hæc facillima sunt.

§. 11.

Secundum genus Tabellarum, continentium

Ortum & Occasum Solis.

Alterum Tabellarum incarnatino colore tinctarum genus continet sex Tabellas, quæ horas Ortus & Occasus Solis monstrant in Viennensi latitudine, seu poli elevatione, eâdem prorsus dispositione, quâ priores, in duodecim Signa; quorum sex in antica, sex in postica sunt, distributa in columnas bipartitas, quarum priores Ortum, alteræ Occasum indicant.

EXEMPLUM.

SI velis scire tempus Ortus & Occasus Solis Viennæ die 2 Decembris, vel, quod idem est, Sole existente in 12 gradu γ ; quære

Dddd

quære